

Joachim Schnobel Jakob Freyburg

Disputatio Iuridica De Senatusconsulto Macedoniano,

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731849973>

Druck Freier  Zugang




Makedonianscher Gewatzbeschluss.

Schnobel / 6

Schnockma - Freibergias.

R. U. J. 1643.



24

77

DISPUTATIO JURIDICA
 DE
SENATUSCON-
SULTO MACEDONIANO,
Quam
 Divino Favente Numine

In
 Illustri ad Varnum Academiâ
 SUB PRÆSIDIO

Clarissimi, Excellentissimi atq; Consultissimi Viri,

DN. JOACHIMI SCHNOBELII,
 J. U. D. ibidemq; Professoris Ordinarij, Præ-
 ceptoris, Promotoris ac fautoris sui
 pl. honorandi.

Publica disquisitioni subjicit

JACOBUS FREIBERGIUS,
 Sedinô-Pomeranus.

*Ad diem 3. Junij in Auditorio Majori
 horis antemeridianis.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILLII, Academia Typographi.

ANNO Æræ Christianæ M. D. C. XLIII.

1040

DISPUTATIO JURIDICA
DE

SENATU
MAGISTRALIS

Divino Reuerentissimo

Illustri ac Reverendissimi
S. P. R. A. S. I. D. I.
D. N. O. A. C. H. I. M. I. S. C. H. N. O. B. E. L. I.
J. D. i. d. e. n. d. P. r. o. f. e. s. s. o. r. s. O. r. d. i. n. a. r. i. P. r. e.

JACOBUS FREIBERGII





Cum in omni negotio, quod de aliqua re suscipitur, justum observare ordinem deceat, ne confusio, quæ mater erroris est, nascatur. Igitur & mihi quoq; de SCTO MACEDONIANO breviter a-cturo haut adeò visum est fore ab instituto alienum, si totam hanc materiam tribus præcipuè membris includam, ostendendo I. Definitionem, Originem atq; causam hujus SCTI: dein quibus & adversus quos competat, & 3. quibus requisitis instructum id procedat. Sit ergò in nomine Domini nostri JESU CHRISTI, cujus ductu ad omnes actus omniaq; consilia feliciter progredimur, l. 2. C. de offic. præf. præf. Afr.

THESIS I.

SCTUM Macedonianum est jussus ac constitutio Senatus, arg. §. 5. *J. de jure Nat. G. & C.* qua prohibemur mutuas dare pecunias ijs, qui in potestate parentum sunt, eiq; qui credidit, denegatur Actio tam adversus ipsum filium, quàm patrem. §. 7. *J. quod cum eo & c. l. 1. ff. de SCTO Maced.*

II.

Dictum est Macedonianum à Macedone cive quodam Romano, insigni foeneratore & Usurario, qui filijsfam. contra patrum consensum mutuam pecuniam ad

A 2

quemvis

quemvis luxum credere solebat; Unde eveniebat, ut tandem ære alieno obruti in quodvis flagitium ac mortis etiam paternæ cogitationem impellerentur, quò hereditatem ipsi egentes creditoribus concedere possent. *d. §. 7.*

III.

Causa introducendi hujus SCti hinc facillè elucescit. Cùm enim hanc rem iniquissimam Senatus Romanus videret, fatis æquum ei visum fuit, huic malo prævenire atq; publicæ utilitati consulere.

IV.

Plurimum enim Reip. interest, ejusmodi conatui in tempore gravitate pœnæ occurrere, ne non tantum eo in actum deducto ex sua malitia quisquam commodum reportet, contra expressos juris textus; sed & ne, filijsfam., qui sunt quasi familiarum columina ac Reip. seminaria, corrumpantur *l. 1. ff. h. t. & arg. l. 14. §. 1. ff. de servo corrupt.*

V.

Tùm favor etiam parentum haut exiguam huic SCto præbuit necessitatem, ne videlicet filijsfam. ob luxuriam atq; æris alieni magnitudinem indomitasq; animi cupiditates vitæ ipsorum (teste Cicer. pro S. Roscio) infidientur *d. §. 7.* atq; sic juveniles illi calores cupidini cui-cunq; dediti tristem exitum fortiantur, qui eos post dispersum patrimonium expectat per *l. ult. §. ipsum vers. melius. C. de bonis qua lib.*

VI.

Hæc sanè fundamenta atq; rationes fatis pro æquitate hujus SCti pugnant, adeò, ut affirmare audeamus, filiumfam. ob beneficium sibi à Lege indultum etiam in foro Conscientiæ tutum esse, si pecuniam mutuò acceptam non solvat.

VII. Verba

VII.

Verba autem in definitione posita: Denegatur Actio, respiciunt hujus S^Cti effectum, qui est, quod licet ex hoc mutuo obligatio, qua de re est *l. 10. & l. 18. ff. h. t.* ex eaq; Actio summo jure oriatur; ea tamen per oppositam Exceptionem ex hoc S^Cto elidatur ac effectu suo privetur. *l. 7. pr. & §. 1. l. 11. ff. h. t.*

VIII.

Quod impedimentum causæ est, ut perinde sit, ac si Actio denegetur vel non detur, arg. *l. 54. de cond. indeb. & l. 4. C. de legit. hered.*

IX.

Hinc etiam jus agendi habere Creditor non videtur, qui perpetuâ Exceptione removeri potest. *l. 13. & l. 112. de R. J.*

X.

Nec quicquam interest five ea ante five post sententiam latam opponatur *l. rament 11. ff. h. t.* dummodò sit omissa *d. l. 11.* non etiam si per Sententiam judicis repudiata. Schneid. *ad §. 7. in fin. J. quod cum eo & c.*

XI.

Num verò hæc Exceptio tam Naturalem quàm Civilem possit extinguere obligationem, quæstionis est? Nos Negativam defendimus, statuendo, eam non nisi Obligationem impedire Civilem, Naturalem non utiq; *l. 10. ff. h. t. & l. 19. pr. ff. de condit. indeb.*

XII.

Quare si filiusfam. aut paterfam. factus id, quod mutuo accepit, solverit, etiam si per errorem solutum sit, repetere non potest. *l. 7. §. 16. l. 9. pr. & §. 4. & 5. ff. h. t. l. 40. ff. de cond. indeb.*

XIII.

Exceptio namq; hujus S^Cti non in filiorumfam. gratiam, utpote cum favore digni non sint, qui pecunias profundunt vitæq; paternæ infidiatores futuri metuuntur;

tur: Sed Actoris odio est introducta, uti id ex *d. l. 9. §. 4. in fin. ff. h. e. & d. l. 40. ff. de cond. indeb. constat*. Ubi verò in odium ejus, cui debetur, Exceptio datur, perperam solutum non repetitur, per *d. l. 19. & 40. ff. de cond. indeb.*

XIV.

Succurritur autem hoc SCto non tantum filiofam. contra patris consensum mutuum contrahenti *d. §. 7. & 1. s. ff. de SCto Mac.* Sed & patri ob pecuniam, quam filiofam. mutuum accepit, Actione de peculio convento *l. 7. §. 10. l. 9. §. 3. ff. d. e. l. pen. C. eod.*

XV.

Quin imò heredi ac successori filij cuivis, cum agatur de rei persecutione, subvenitur *d. l. 7. §. 10.*

XVI.

Nec ipsius quoq; Fidejussor excluditur, quò minus hac Exceptione se tueri possit, dummodò non donandi animo, nec patris voluntate intercesserit *l. 9. §. 3. ff. h. e.*

XVII.

Idq; ideò, quoniam Exceptiones Reales, quæ Reo competunt, Fidejussori quoq; competere, juris est aper-
tissimi *l. 7. §. 1. l. 19. ff. de Except. l. 11. C. eod.*

XVIII.

Quæ cum ita sint, filiofam. non posse cum effectu huic Exceptioni renunciare, Communis Dd. Schola rectè tradit; utpote cum hæc renunciatio non solum in parentum vergeret læsionem, arg. *l. 6. C. de LL.* sed & multum juri publico derogaret ac præjudicaret, contra *l. 7. §. 14. l. 27. §. 4. ff. de Pact.*

XIX.

Nec ambigimus idem statuere, etiam si juramentum huic renunciationi accesserit, arg. *l. 7. §. 16. ff. de Pact. l. 112. §. fin. ff. de Leg. 1. l. 8. C. de LL. l. ult. C. de non num. pec.*

XX. Etiam

XX.

Etiam tale iuramentum videtur esse contra bonos mores, & occasionem dare peccandi & delinquendi, ideoq; nullatenus obligatorium. *c. non est obligatorium. de R. J. in 6.*

XXI.

Datur autem hæc Exceptio tam adversus ipsum Creditorem agentem, quam ejusdem socios, heredes ac successores qualescunq; *l. 7. §. proinde. §. non solam. ff. h. t.*

XXII.

In tantum, ut idem obtineat, quamvis Civitas filiofam. crediderit per *l. 15. ff. h. t.*

XXIII.

Nec Creditoribus quicquam prodesse potest, si ea pecunia data sit sub Usuris, si sine Usuris *d. l. 7. §. 9.* si consumpta sit, si exstet in peculio. *l. 9. §. 2. ff. h. t.*

XXIV.

Ultimum nostri instituti membrum quod attinet, requiescit illud in hujus S^Cri requisitis, quæ vel concernunt ipsum contractum, vel personas contrahentium.

XXV.

Contractus debet esse Mutuum ignorante, vel vetante, aut ratum non habente patre, qua de re est *l. 7. §. 11. in fin. l. 12. ff. h. t. l. 4. 5. & ult. C. eod. à filiofam. celebratum. l. 3 §. 3. ff. eod.*

XXVI.

Non tamen in quavis re fungibili *l. 7. §. 3. ff. h. t.* sed imprimis in pecunia numerata, utpote cujus datio, quæ vere, juxta Poëtam, irritamentum est malorum, perniciofa parentibus visa est *d. l. 3. §. 3. ff. d. t.*

XXVII.

Cæteri ergo contractus, etiam si ex ijs in creditum filiofam. abierit; tamen, quia pecuniæ numeratio ex mutuo non concurrat, efficiunt cessare S^Crum *d. l. 3. §. 3. l. 7.*

l.7. pr. l. 13. ff. h. t. Origo enim obligationis potius, quam
titulus Actionis est considerandus, per *l. 3. C. eod.*

XXVIII.

Quod si verò quæsito colore ac in fraudem S^Ci alij
contractus præter mutuum sint celebrati, vel aliæ res
præter pecuniam mutuo datæ, etiamsi fidejubendo id fi-
liusfam. faciat, locum Exceptioni esse, juris flagitat ra-
tio. *d. l. 3 § 3. l. 7. § sed Julianus. §. Idem ait. § mutuidationem.*
ff. d. t.

XXIX.

Requisita circa personas contrahentium respiciunt
vel Creditorem, qui est fœenerator; vel Debitorem, qui
est filiusfamiliâs.

XXX.

A parte Creditoris requiritur, eundem non ignoras-
se, vel certè ignorare non potuisse vel debuisse, quod
perinde est, per *l. 5. ff. si cert. pet. conditionem illius, cum*
quo contrahit. l. pen. ff. h. t. l. 19. ff. de R. J.

XXXI.

Nam si iusta simplicitate nec juris ignorantia decep-
tus, filiosfam. qui se sui juris esse confirmaverit ac fin-
xerit, ac pro tali palàm se gesserit, crediderit, cessare,
S^Crum & Naturalis & Civilis juris æquitas suadet. *l. 3. ff.*
h. t. l. 1. C. eod.

XXXII.

Unde etiam nec ex numero earum sit personarum,
oportet, quibus vel ignorantia juris est remissa, ut sunt
Pupilli; vel ob lubricum consilium in facti errore succur-
ritur, qualis Minor est; vel etiam à cujus parte ipse con-
tractus hoc casu censetur nullus, ut est Filiusfamiliâs. *l. 3.*
§. 2. ff. h. t.

XXXIII.

Quin & justam Creditoris credendi causam huic
Exceptioni obstaculo esse, magna æquitatis ratio dicitur:
Utpote cum non tantum Exceptionis hujus ratio hic
cesset;

cesset; sed & iniquum sit cum alterius jactura sine illius culpa locupletari, arg. *l. 14. ff. de cond. indeb.*

XXXIV.

Hinc Innoc. in *c. quia pleriq. ex. de immunis. Eccles.* mortaliter eos peccare asserit, si nihilominus Exceptio hæc allegetur, quando ob necessitatem filij vel ob aliam justam causam pecunia sit accepta.

XXXV.

Ideoq; si filiosam. studiorum vel legationis causâ absenti ad necessarios sumtus, quos patris pietas non recusat, pecunia credita sit, SCTo locum non esse juris est. *l. 7. §. 13. ff. h. t. l. 5. C. cod. l. 47. in fin. ff. de solut.*

XXXVI.

Pater enim mittens filium studiorum causâ omnibus permittere videtur, ut filium in sumtibus necessariis studiorum causâ faciendis juvent, arg. *l. 1. §. 2. ff. de exere. Action.*

XXXVII.

Imò etiam pecunia hoc casu accepta, dummodò probabilem modum, eamq; quantitatem, quam pater solebat subministrare, non excefferit, *l. 7. §. 13. h. t. in rem patris versa intelligitur l. 5. C. cod. sicq; Pater de in rem verso tenetur, § 4. J. quod cum eo & c. l. 7. §. 12. ff. h. t.*

XXXVIII.

A parte Debitoris tria inprimis requisita sunt attendenda. Primum est, ut is tempore Contractus sub potestate patria sit constitutus, uti id verba SCTi in *l. 1. ff. h. t.* expressè innuunt.

XXXIX.

Pater enim familiâs uti sui est juris, sibiq; omnia acquirit: ita ex omnibus causis efficaciter obligatur, arg. *l. 39. ff. de O. & A.* Huc pertinet *l. 3. §. ult. cum l. seq. ff. h. t.*

B

XL. Nec

XL.

Nec refert utrum is post contractum mutuū man-
ferit talis, an emancipatus vel aliās sui juris fuerit effe-
ctus. *d. §. 7. & l. 1. ff. h. t.*

XLI.

Quod fallit, si filiusfam. paterfamiliās factus con-
tractum, quem in sacris adhuc constitutus inivit, vel no-
vaverit, *l. ult. ff. h. t. l. 2. C. eod.* vel etiam totum debitum, vel
partem aliquam solvendo, agnoverit *d. l. 2. C. b. t.* Hoc
enim casu cessare SCtum rationis est.

XLII.

Quin, quod amplius, quamvis in pendentī sit, an sic
filiusfam. utputā quando pater hostium potestati est
subjectus: nihilominus denegandam esse Actionem jure
decisum reperitur. *l. 1. §. 1. ff. h. t.*

XLIII.

Idq; propter jus Postliminiij, quo patria potestas in
suspensio magis esse, quā extincta videtur, arg. *l. 15. ff.
de suis & legit. l. 12. §. 1. & l. 16. ff. de captiv. & postl. revers.*

XLIV.

Quod de filiofam. dictum fuit, idem quoq; de Ne-
pote ac pronepote intelligendum arbitramur *l. 14. ff. h. t.
l. 6. in fin. C. eod.* idq; ex justa interpretatione *l. 201. ff. de V. S.*
ne, quod unā via est prohiberem, id alia sit concessum,
per *c. cum quid unā. de R. Fin. 6.*

XLV.

Idem etiam ad filiamfam. mutuam accipientem pe-
cuniam pertinere indubium est; utpote cum multo ma-
gis severitate SCti ejus contractus improbetur, qui fi-
liamfam. mutuū dedit. *l. 9. §. 2. ff. h. t.*

XLVI.

Alterum requisitum consistit in eo, ut debitor e jus
sit

sit ætatis ac conditionis, ut velle ac consentire possit,
arg. *l. 1. §. 3. vers. Adeo ff. de Pact. & l. 55. ff. de O. & A.*

XLVII.

Furioso enim, mente capto ac Infanti, cum naturâ prohibeantur contrahere, eorumq; contractus ipso jure sit nullus *l. 5. & l. 40. de R. J. l. 1. §. 12. cum §. seq. ff. de O. & A. l. 28. C. de Episc. aud.* non opus esse Exceptione plusquam manifestum est.

XLVIII.

Tertium deniq; requisitum deposcit ab eodem, ut peculij cujusdam Castrensis sit expers. In eo enim, cum filijsfam. vice fungantur patrumfam., SCto locum esse ratio juris non admittit *l. 1. §. ult. cum l. seq. ff. b. r. l. ult. C. eod.*

XLIX.

An verò idem in peculio profecticio & adventitio filijsfam. obtineat? haut inutiliter quæritur. Nobis Negativa placet, sumto arg. ex *d. l. 3. §. 2. vers. si filiusfam. ff. d. r.*

L.

Coronidis loco allubescit adhuc quærere: Num *§. 3. l. 1. ff. b. r.* per Novellam 81. qua filiusfam. dignitatem summam consecutus patriâ potestate liberatur, sit abrogatus? quod sub distinctione affirmandû autumamus.

LI.

Aut enim filiusfam. dignitatem nondum consecutus, mutuam sumsit pecuniam, & Exceptioni post dignitatem obrentam locum esse verius est, arg. *l. 1. pr. in verb. etiam post mortem. ff. b. r.*

LII.

Aut post dignitatem mutuam accepit, & tum non posse agenti Exceptionem hujus SCti objici asseverando concludimus arg. *l. 2. & 3. ff. b. r. & d. Nov. 81.* atq; sic telâ hujus

hujus dissertationis in Nomine Jesu finimus, aliis uberi-
orem hujus materiae tractationem relicturi.

AUGUSTINUS.

Non pigebit me, sicubi haesito, quaereres;
Non pudebit, sicubi erro, discere.

Adjacentia.


An inter virum bonum & civem bonum sit statuenda differentia? Aff.


An Civitates Hansatica jus habeant Legatos mittendi? Aff. Dist.


An Imperator vi Electionis ab Electoribus Romani Imperij facta, coronationis & Unctionis actu nondum subsecuto de bonis Imperij in feudum concedere possit? Aff.

An pecunia ex feudo Vendito redacta feudi habeat naturam & in feudum concedi possit? Neg.

FINIS.







the scale towards document

iqvum sit cum alterius jactura sine illius
ri, arg. *l. 14. ff. de cond. indeb.*

XXXIV.

oc. in *c. quia pleriq. ex. de immunis. Eccles.*
peccare asserit, si nihilominus Exceptio
quando ob necessitatem filij vel ob aliam
pecunia sit accepta.

XXXV.

filiotam. studiorum vel legationis causâ
essarios sumtus, quos patris pietas non re-
credita sit, Scto locum non esse juris est.
. C. cod. l. 47. in fin. ff. de solut.

XXXVI.

in mittens filium studiorum causâ omni-
videtur, ut filium in sumtibus necessariis
sâ faciendis juvent, arg. *l. 1. §. 2. ff. de exere.*

XXXVII.

am pecunia hoc casu accepta, dummodo
odum, eamq; quantitatem, quam pater so-
strare, non excesserit, *l. 7. §. 13. b. 1. in rem*
telligitur *l. 5. C. cod. sicq; Pater de in rem*
§ 4. J. quod cum eo & c. l. 7. §. 12. ff. h. s.

XXXVIII.

ebitoris tria in primis requisita sunt atten-
um est, ut is tempore Contractus sub po-
sit constitutus, uti id verba Scti in *l. 1. ff.*
anuunt.

XXXIX.

in familiâs uti sui est juris, sibiq; omnia ac-
omnibus causis efficaciter obligatur, arg.
Huc pertinet *l. 3. §. ult. cum l. seq. ff. h. s.*

B

XL. Nec